

1928 K 924
2635
510
321
511
DISPUTATIO JURIDICA

De

DEFENSIONE
NECESSARIA,

Quam

AUSPICIIS SS. TRINITATIS

Consentiente Amplissimo Jctorum in celeberrima Witebergensium Academia ordine

SUB PRÆSIDIO

Dn. CHRISTIANI Krenbergi J. U. D.

publicè ventilandam proponit

URIEL AB EICHE NOB.
ANHALTIN.

Ad diem 11. Februarij horis matutinis in
Acroaterio Jctorum

✻ (:) ✻

WITTEBERGÆ

Typis Heredum JOANNIS RICHTERI,

ANNO MDCCXX.

1620

DISPUTATIO JURIDICA
DE
DEFENSIONE
NECESSARIA

AVSPICIO ET TRINITATE
Consentiente Amplissimo Consilio in celeberrimo
Wittebergensi Academia ordine
Sua Praesidio

DR. CHRISTIANI STEIN
PUB. P. H. D.
Publico Consilio Praeside
LRIEL AB EICHE NOB.
ANNALIN.

Ad diem 1. Februarii horae sextae in
Atrio Consilii

WILTBERGE
Typis Herdum Joannis Richter

ANNO MDCCXX



ILLUSTRISSIMIS ATQUE
CELSISSIMIS PRINCIPIBUS
AC DOMINIS,

Dn. CHRISTIANO

Dn. AVGUSTO

Dn. RUDOLPHO

Dn. LUDOVICO

Dn. JOHANNI CASIMIRO,

Principibus Anhaltinis, Comitibus
Ascaniæ, Dominis Servestæ ac
Bernburgi, &c.

Dominis suis Clementissimis

Hoc legale exercitium

subjectissime

dicat & offert

URIEL AB EICHE,

A. & Respondens.



I.

Vultitiae congruum & æquitati con-
ludentaneum meritò habendum il-
lud Jcti pronunciatum: VIM VI
REPELLERE OMNES LEGES,
OMNIAQVE JURA PERMITTUNT.

I. Per l. *scientiam. 45. §. qui cum aliter. 4. ff. ad L. Aquil. c. si-
gnificasti. Extr. de homicid.*

II. De jure divino patet ex *cap. 22. vers. 2. Exod.* Si effrin-
gens fur domum, siye suffodiens fuerit inventus, & accepto
vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.

III. De jure naturali est textus in l. 1. §. *cum arietes. ff. si
quadrup. pauper. feciss. cap. jus naturale. dist. 1. Clement. Pastoralis.
de Sent. & re judic.* De quo & Cicero in *Orat. pro Milon.* ait: Est
hæc, Judices, non scripta, sed nata lex: Quam non didicimus
accepimus, legimus, verùm ex natura ipsa arripimus, haufi-
mus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti,
sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in
vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis
honestæ ratio esset expediendæ salutis.

IV. De jure gentium l. 1. §. *ult. cum duabus ll. seqq. ff. de Just.
& jur. & l. 4. in pr. ff. ad L. Aquil.*

V. De Jure civili textus adsunt propè innumerabiles, l.
*ut vim. 3. ff. de Justit. & Jur. l. sed & partus. 12. §. 1. ff. quod metus
caussa. d. l. 4. l. 5. d. l. 45. §. qui cum aliter 4. ff. ad L. Aquil. l. si ex
plagis. 52. §. 1. eod. l. 1. §. vim vi. 27. ff. de vi & vi armat. l. 3. §. eum*

igitur.

igitur. 9. eod. d. l. 1. §. cum arietes. ff. si quadrup. pauper. feciss. l. 1.
 §. item Divus 4. ad L. Cornel. de sicar. l. furem. 9. eod. l. 2. l. 3. & seq.
 C. eod. tot. tit. C. quando licet unic. se sine Iudic. vindic. l. 1. C. unde
 vi. c. de pac. tenend. & ejus violat. 27. lib. 2. feud. in pr. vers. si quis
 hominem, ibi: Vitam suam defendendo illum occidit. Ordin.
 Criminal. Carol. V. art. 129. Zoannet. tract. defens. tripart. part.
 1. n. 1. Volz. ad L. Cornel. de sicar. c. 7. n. 8. & in not. ibid. Obrecht.
 tract. de necess. defens. c. 1. n. 13. & seqq. Jacob. Ayrer de homicid.
 in prolegom. n. 18. latè Bocer. tract. de bello & duell. c. 10. Gris
 bald. Mopha de homicid. prima spec. n. 18. Harprecht. Instit. de
 public. Iudic. ad §. item lex Cornelia. 5. n. 52. Trentler. vol. 2. disp.
 32. th. 6. l. f. Wesembec. in Parat. ff. ad L. Cornel. de sicar. n. 21.
 & C. Quand. lic. se absq. Iudic. vindic. n. 2. & 3. Hunnius in In
 stitut. disput. 1. thes. 12. & disput. 17. th. 12. Hippolyt. de Marsil.
 in pract. rer. Criminal. §. quoniam. n. 76. §. opportunè. n. 27. &
 multis aliis locis.

II.

Ideoque, si metu quis mortis aggresso
 rem vel quemcunque alium in dubio vitæ
 discrimine constitutus occiderit, non injuriã
 occidisse videbitur, & ob id factum nullam
 calumniam metuere debet.

I. Per d. l. itaq. si servum 4. l. sed etsi. 5. in fin. pr. ff. ad L. Aquil.
 l. is qui aggressorem 2. l. si quis percussorem. 3. C. ad L. Cornel.
 de sicar.

II. Quoniam defensor propriæ salutis in nullo peccas
 se videtur, d. l. si quis percussorem. 3. C. ad L. Cornel. de sicar. Et
 quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse ex
 istimatur. d. l. ut vim 3. ff. de Iustit. & Iur. Idem testatur Cicero
 in d. Orat. pro Milon. Hoc & ratio doctis & necessitas bar
 baris & mos gentibus & feris natura ita præscripsit, ut o
 mnem semper vim, quacunque ope possent, à corpore, à ca
 pite, à vita sua propulsarent.

III. Concesso fine, concessum quoque intelligitur medium, sine quo ad finem peruenire non licet. *l. 2. ff. de Iuris d. l. oratio. 16. ff. de Sponsalib.* At conceditur defensio, per supra dicta. Ergo concessa quoque præsumuntur media, & proinde adversarii internecio ad finem consequendum & salutis defensionem concessa videtur. Obrecht. *d. tract. de Necess. defens. passim.* Zoannet. *d. part. 1. n. 11.* Hippolyt. de Marfil. *prax. criminal. §. quoniam ubi late.* Dissentiunt hinc quidam è Scholasticis Dd. ut teste Obrecht, *d. tract. c. 1. n. 12.* refert Binsfeld. *in tract. de injur. & damno dato. c. 1. quest. 5. conclus. 1. in pr.*

III.

Idque tam in foro Poli, quam soli verum esse, statuimus.

I. Per *d. c. 22. vers. 2. Exod.*

II. Per Præceptum Decalogi: Non occides; quod non solum præcipit, nè alios interficiamus, sed etiam nosmetipsos nè occidamus. Qui verò semetipsum, dum potest, non defendit, efficit, ut hæc lex in persona propria violetur. Obrecht. *d. tract. c. 10.*

III. Quando lex naturalis cum aliâ lege naturali concurrit, inferior superiori cedat, necesse est. Lex itaque naturalis: NON OCCIDES, non impedit superiorem naturæ legem, quæ suadet, ut tuam tuorumque salutem defendas. Obrecht. *d. tract. cap. 1.* Harprecht. *de public. Indic. §. item Lex Cornelia de sicariis. n. 85.*

IV. Defensio est dictamen juris naturalis. *d. l. 3. ff. de Iustit. & Iur. d. l. 1. §. cum arietes. 11. Si quadrup. pauper. fecit. dic.* Quicquid autem dictat jus naturale, dictat & recta ratio. *§. 1. vers. quod vero naturalis ratio. Instit. de Iur. Natur. Gent. & Civil.* Recta ratio autem nunquam dictat, quod apud DEUM, qui ipsamet natura est, non sit permissum. Quicquid verò apud DEUM est permissum, in foro conscientiae quoque permissum intelligitur. Ergo Defensio quoque legitima in

foro

foro conscientiae erit permiffa. Jacob. Ayrer. *d. tract. de homicid. part. 1. n. 4.* Harprecht. *d. §. n. 81.*

V. *Clem. un. de homicid.* ubi Pontifex Clemens illum, qui fui defendendi cauffa alium occidit, nullam irregularitatem incurrere ftatuit. Dissent. Accurfus *ad d. l. 3. verbo.* Nam *jure. ff. de justit. & jur.* IV.

Adeo ut is, qui sese non defendit, dum potest, led se interfici potius patitur, non minus ac fuisipfius homicida peccare, proindeq; puniendus esse videatur.

I. Per supra adducta ex praeepto Non occides.

II. Quanto fortius est naturale vinculum, tanto major est obligatio. *Auth. itaq; C. commun. de success.* At longè fortius est vinculum, quo quisque fibimetipfi astrictus & obligatus est omnibus aliis cognationis vinculis & gradibus. Ergo major quoque erit obligatio.

Minor patet 1. ex ordine charitatis, quae à seipfa incipere debet. *l. praeses. C. de serv. & aqua.* Quò facit & illud Matthæi *cap. 25. vers. 9.* ibi: Ne fortè deficiat nobis & vobis. Et illud ejuldem *cap. 22:* Diliges proximum tuum, sicut TEIPSUM. 2. Latè eam probat Zoannet. *d. tract. de necess. defens. part. 1. n. 26. per l. 1. l. 3. §. si quis autem tadio. 6. ff. de bonis eor. qui ant. sentent. mort. sibi consciv. l. cum autem. 23. §. malus servus. 3. ff. de adilit. & dict.*

III. Nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse habet. *c. nemo. de R. I. in 6. l. nemo. 54. ff. de R. I. l. traditio. 20. de acquir. rer. domin.* Nemo verò est Dominus fuorum membrorum. *l. liber homo. 13. ff. ad L. Aquil.* Unde & in cauffis criminalibus, ubi poena sanguinis infligitur, non admittuntur fidejussores ad hoc, ut poena corporalis ipsis infligatur, uti *Dd. comm. distinguunt, Gomez. tom. 3. variar. Resolut. cap. 9. n. 8. Schneidewin. ad §. in omnibus. Inst. de fidejussor.* Ergo nemo vitam suam alteri cedere potest. Imò qui tale facit,

inju-

injuriam DEO & Reipublicæ facere videtur. Zoannet. *d. tract. part. 1. n. 3.* Obrecht. *d. tract. c. 1. n. 23.* Dissent. Ayrer. *d. tract. de homicid. part. 1. n. 395. cum seqq.*

V.

Cum autem omnis, quæ de re aliqua suscipitur disquisitio, à definitione ordiri debet, & nos haud abs re fore arbitramur, huic nostræ de defensione disceptationi, definitionem ejusdem aut potius qualemcunq; duntaxat descriptionem præfigere.

Est autem defensio sui suorumque adversus vim injustam moderata tuitio & propugnatio.

Volz. d. comm. ad L. Cornel. de sicar. c. 7. n. 12. Paulò aliter Wefenbec. in Parat. C. *Quand. licet se absq; judic. vindic. n. 3.* Bocer. *d. tract. de bello & duell. cap. 10.*

VI.

Cujus juris sit hæc necessaria defensio, non satis convenit inter Dd. Nos haud ineptè illos statuere censemus, qui eam omni jure naturali, Gentium, Civili, & denique Canonico permissam esse dicunt.

Per d. l. scientiam. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. Obrecht. *d. tract. c. 4. n. 9.* Bocer. *d. tract. de bell & duell. c. 10. n. 15. & multis seqq.* Jacob. Ayrer. *d. tract. de homicid. in prolegom. n. 42.* Dissent. Decius *d. l. 3. de Inst. & Jur.* Zoannet. *d. tract. part. 1. n. 18. & seqq.* Aliter Coraf. *de art. jur. part. 2. cap. 8.* Aliter Harpnecht *in d. tract. crimin. §. 5. de publ. judic.* Dn. Hunn. *Instit. disput. 1. th. 12.* Aliter Donell. *lib. 1. comm. cap. 10. & alii.*

VII. Juris

VII.

Juris quidem naturalis, respectu solius instinctus & impulsus naturæ, qua omnibus animantibus vitæ corporisq; simplicem defensionem tributam & innatam esse, videmus.

I. *d. l. 1. §. cum arietes. ff. si quadrup. pauper. feciss. dic.*

II. Ex definitione Juris naturalis. *l. 1. §. jus naturale. ff. de Iust. & Iur. in pr. Instit. de Iur. Nat. Gent. & Civil. Bocer. d. loc. Obrecht. d. c. 4. n. 10.*

IIX.

Juris autem Gentium, intuitu rationis naturalis, ex qua sicut hominem homini insidiari nefas esse judicatur; ita justum esse statuitur, ut vim atque injuriam, sive ab homine sive à bestia inferatur, quis propulset.

I. *d. l. ut vim. 3. ff. de Iustit. & Iur.*

II. *l. 4. in pr. ff. ad L. Aquil. ibi: adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere. Naturalis verò ratio nihil aliud est, quam ipsum jus Gentium. §. 2. Instit. de Iur. Nat. Gent. & Civil.*

IX.

Juris tandem Civilis & Canonici est hæc (de qua agimus) necessaria defensio, propter probationem, quâ utrumque hoc in casu jus naturale & Gentium comprobavit, & melius explicavit.

I. *d. l. scientiam. 45. §. qui cum aliter. ff. ad L. Aquil. l. 1. C. unde vi. d. c. 2. c. 3. c. significasti. Extr. de homicid.*

B

II. per

II. *per §. vendita. 41. Inst. de Rer. divis. §. 1. vers. civiles. Inst. de Obligat.* ubi dicitur, quod ea, quæ origine juris naturalis & Gentium sunt, propter comprobationem Juris Civilis esse dicantur. *Bocer. d. loc. Dissent. Obrecht. d. c. 4. n. 13.* qui propter confirmationem Juri civili eam tribuit. Aliter *Corasius d. loco.* qui per moderamen inculpatæ tutelæ temperatam defensionem Juri civili assignat. Aliter *Decius & Zoannet. dict. loco.* qui distinguunt inter originem & formam defensionis.

X.

Defendere autem se potest OMNIS: omnis (inquam) quis tandem ille sit, cui vis injusta infertur, nullo ætatis vel sexus vel conditionis habito respectu.

I. *per d. l. ut vim. 3. de Inst. & Iur.* ibi: QVISQUE, quo articulo omnes significantur. *l. hoc articulo. 29. ff. de hered. institut.*

II. Quia ratio legis, quæ est mens & anima legum, est generalis. A natura enim cuique tributum est, ut vitam & corpus tueatur, *per supra dicta thes. 1.* Propter generalem verò rationem lex utcunque etiam specialis, generaliter est intelligenda. *l. regula. 9. §. si quis. 5. ff. de Iuris & fact. ignorant.*

III. Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræquè custoditur. *§. 1. Instit. de Iur. Nat. Gent. & Civil. l. 1. §. ult. ff. de Instit. & Iur.* At talis est defensio, *supr. thes. 8. E. & c. Obrecht. d. tract. c. 5. n. 9.*

XI.

Dicimus vim injustam. Nam ubicunque vis atque offensio est licita atque justa, ibi defensio est injusta & illicita.

XII. Unde

XII.

Unde Sontes & delinquentes officialibus & apparitoribus, à quibus ad carceres aut pœnas ducuntur, resistere, seque adversus eos defendere nequeunt; adeò, ut ita resistens vi atque vinculis coerceri, imò in tali pugna impunè, à licitoribus (servato tamen moderate inculpatæ tutelæ) obrui & interfici queat.

I. *l. si servus. 4. C. de his qui ad Eccles. confug. & l. quemadmodum. 29. §. fin. ff. ad L. Aquil.*

II. Quia vis accipitur a rox, & ea, quæ adversus bonos mores fit, non ea, quam Magistratus rectè infert, jure licito & jure honoris, quem sustinet. *l. 3. §. 1. in pr. ff. quod met. causa.*

III. Quia juris executio non habet injuriam. *l. injuriarum. 13. ff. de Injur.* Quod verò per familiam facit Judex, perinde ac si ipse faceret, existimandum est. *l. 13. §. si quis. 2. ff. de injur. l. non videntur. 167. §. qui jussu. 1. ff. de R. I. Hippolyt. de Marf. prax crimin. §. diligenter. n. 55. Franc. Pfeil. conf. 141. n. 5. & seq. Volz. d. comm. c. 6. n. 48. & c. 7. n. 11. 72. 73. & seqq. Obrecht. d. tract. c. 9. n. 45. & seqq.*

XIII.

Sin verò talis familia plerumque ex tribu levi (ut monet Obrechtus) descendens, injustè contra officium data opera & dolo malo aliquem fontem vulneret, aut omninò interficiat, non prætextu officii excusanda, sed graviter vindicanda, & non secus atque quivis alius de occiso punienda venit.

arg. l. nec Magistratus. 32. ff. de Injur. d. l. 3. §. 1. in fin. ff. Quod met. caus. l. factum à Iudice. 170. ff. de R. I. Quæ omnia si in ipso Magistratu procedunt, multo magis in ipsius Ministris locum habebunt. Antea allegat. Authores, d. loc.

XIV

Controvertitur hîc, an aufugientem facinorosum impunè Lictoribus interficere liceat? Nos negantibus adstipulamur.

I. Per l. 1. C. de his qui ant. sentent. mort. sib. consc.

II. Quia fugiendo non resistit, sed fuga tantum sibi consulere cupit. Quem si quis occidit, moderamen inculpatae tutelæ excedit. per l. 45. §. qui cum aliter. 4. ff. ad L. Aquil. l. 1. C. unde vi. Nisi forsan in mandatis acceperint, ut vel vivum vel mortuum caperent, quo casu excusantur. per d. l. non videntur. 167. §. 1. ff. de R. I. Quæ tamen mandata (reète momente Obrecht) non nisi gravissimis ex causis huic effræni hominum generi sunt danda, nè forsan mandator commissæ cædis reus fiat. Obrecht. d. cap. 6. n. 49. Fachineus lib. 9. controv. c. 73.

XV.

De bannito quoque, quem vigore statuti impunè occidere licet, quid statuendum, non immeritò quæritur? An adhuc contra adversarium offendere cupientem justè & impunè cum istius læsione defendere ac tueri se queat? Nos negantibus subscribimus, idq; potissimum in bannitis Imperii Romani.

I. Quia namque ubi offensio est justa & permessa, ibi defensio est injusta & prohibita. arg. l. si servus. 4. C. de his qui ad Eccles. confug. At hic offensio est justa & permessa cuilibet. Ergo defensio est illicita & injusta. Minor probatur:

i. Quia

1. Quia hostem publicum impunè occidere licet, *arg. l. 3. §. fin. ff. ad L. Cornel. de sicar. l. minimè. 35. ff. de religios. & sumpt. funer.* At banniti sunt hostes publici Imperii Romani, vigore ordin. Camer. p. 3. art. 9. ex qua bannum duabus ex causis ingeritur, ob fractam pacem publicam & non comparando coram Camera Imperiali, aut non satisfaciendo sententiæ. Unde & Germanicè vocantur **ächter** / à Græca voce *ὁ ἐχθρὸς* hostis, inimicus.

2. Ex ipsa ordin. Camer. quâ inter alia sic sancitur in violatores pacis publicæ, **Sol des oder deroselben (Friedbrecher) Leib vnd Gut jedermänniglich erlaubt seyn / vnd niemand daran freveln oder handeln können oder mögen** / p. 2. tit. 9. Zoannet. d. tract. p. 1. à n. 29. usq. ad 36. Hippolyt. de Marsil. in prax. crimin. in §. *aggredior.* n. 75. Jacob. Ayrer d. tract. de homicid. p. 1. n. 414. & seqq. Volz. d. comm. c. 6. n. 51. Dissent. Obrecht. d. tract. c. 5. n. 10. & 11.

XVI.

Stante verò tali Statuto, porro quæritur, utrum bannitus semetipsum vulnerans vel occidens ratione Statuti liberetur à pœna semetipsum occidentis? **Negamus.**

*Per l. omne delictum 6. §. qui se vulneravit. 7. ff. de re milit. l. 3. ff. & t. tit. C. de bon. eor. qui ante sentent. mort. sibi consc. Et propria persona non intelligitur comprehensa in lege vel Satuto. Joann. Andr. in addit. ad Spec. tit. de pœnis. §. 1. vers. 2. quæro, an vulnerans seipsum. Hippolyt. de Marsil. prax. crimin. §. *aggredior.* n. 17. & seqq.*

XVII.

Quid de bannito alium bannitum occidente sentiendum, quæritur? Nos eum æquè ac alium impunè hoc facere, imò pro formâ

Statuti præmium quoque exinde consequi existimamus.

I. *Per l. non omnes. 5. §. fin. ff. de re milit.* ubi transfugæ alios latrones adprehendenti & transfugas demonstranti parcendum esse, Divus Hadrianus rescripsit.

II. Propter favorem publicum, qui semper extendendus, *arg. l. 3. §. utrum. 14. de SC. Sillan.* etiam ad personas aliàs inhabiles, *arg. l. hoc modo. 64. ff. de condit. & demonstrat. d. l. si quis in gravi. 3. §. 15. ff. de SC. Sillan. l. 2. C. Quand. lic. se absq. judic. vindic. ibi: ubique, cuncti. l. ita vulneratus. 51. vers.* Multa Jure Civili contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta esse. Facit huc, quod licet aliàs Ecclesiæ & clerici immunes sint ab onere collectarum: tamen tempore necessitatis propter favorem publicum tale onus imponi queat. *l. nullus. 21. C. de Curs. publ. & Angariis. libr. 12. Hyppolyt. de Marfil. §. aggredior. n. 53. & multis seqq. Corral. part. 4. de jur. art. cap. 7.*

XIX.

An patrem bannitum filio licitum sit interficere, controvertitur? Nos negantibus accedimus.

I. *arg. l. 38. §. liberto. 9. ff. ad L. Iul. de adult.* ubi libertus patronum in adulterio cum uxore deprehensum, quem aliàs impunè occidere licet, interficere prohibetur.

II. *l. tutor quoq. 3. §. 1. ff. de suspect. tutor.* in qua libertus patronum, ut suspectum in tutela facere cupiens, ab accusatione (licet aliàs publica & omnibus permilla. *l. 1. §. consequens. 6. eodem.*) repellitur. Quæ omnia cum in liberto obtinent, in filio quoq; locum habebunt. Quoniam filio persona patris, æquè ac liberto patroni semper sancta & honesta. *l. liberto. 9. ff. de obseq. parent. & patr.* Imò propter arctissimum sanguinis vinculum, quo filii parentibus obstricti sunt, longè sanctior & honestior videri debet. *arg. auth. itaq. C. comm. de success.*

III. Quia pater licet Legum contemptor & impius sit:

tamen

tamen est Pater. *Novell. de incest. & nefar. nupt. 12. c. 2. Volz. d. comm. c. 7. n. 31. & seqq. ubi allegat multos consent. & dissent.*

XIX.

Sicut porro non interest, quisquis ille sit, qui vim injustam repellit: ita nec referre putamus, quicumque eam inferat, adeo, ut nulla omninò habita personarū differētia, quisquis contra quemcunq;, vim atq; injuriā facientē, justè atq; licitè sese defendere atq; tueri queat.

Per text. general. d. l. 3. ff. de Just. & Jur. d. l. scientiam. 45. S. qui cum aliter. ff. ad L. Aquil. Obrecht. d. tract. c. 6. n. 2. 3. 4. & seqq. D. Hunn. Instit. disput. de privat. delict. 17. th. 17.

XX.

Sed cum paulò ante dixerimus, filio, ut liberto Patroni, sic parentis personam SSanctā esse, non immeritò quæritur, quid Juris inter patrem & filium, an hæc maxima locum habeat? Nostra sententia hæc est: Quòd eo casu, quo filio omnis elabendi, truculentas manus patris injusti sævientis effugiendi, ac mortifera verbera declinandi aliterq; evadendi planè abstrusa est spes & occasio, adeò, ut filio aut dira mors perferenda, aut patris vis injuriola oppositâ vi propullanda sit, filius, tam in conscientia quam civili foro, tutò atq; impunè patri, nō ut patri, sed ut latroni (*l. 5. ff. ad L. Pomp. de parricid.*) resistere; imò ob sui defensionem eundem impunè occidere queat.

I. Quia

I. Quia ubicunque est vis injusta atque illicita, ibi defensio est licita. At in patre talia conante contra filium, est vis injusta atque illicita. E. Minor probatur 1. *arg. l. 3. C. de patr. potest. l. unic. C. de emend. propinq. Ephes. 6. vers. 4. Coloss. 3. vers. 21.* 2. l. Divus Hadrianus 5. *ff. ad L. Pomp. de parricid.* ubi elegans habetur casus. 3. Quia jus vitæ & necis in liberos parentibus sublatum est tam expresso jure divino, *Deuter. 21. vers. 18. 19.* quàm humano, *l. inauditum. 2. ff. ad L. Cornel. de sicar.* Et patria potestas non in atrocitate, sed pietate consistit, *d. l. 5. ad L. Pomp. de Parricid.* Imò acerbè puniuntur parentes liberos occidentes, *l. unic. C. de his qui parent. vel liber. occid. §. 6. Inst. de public. Judic.*

II. Ubi lex non distinguit, nec nostrum est distinguere. *l. non distinguemus. 32. ff. de recept. arbitr.* At lex cuique defensionem sui permittit. *d. l. 3. ff. de Iust. & Iur. d. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. d. l. 1. C. unde vi.* E. nec nostrum erit distinguere, sed potiùs erubescendum absque lege loqui. *Nov. 18. c. 5.*

III. Quia charitas à seipsa incipere debet, *d. l. preses. 6. c. de serv. & aqua.* Et à natura cuique tributum est, ut sibi magis quàm aliis bene cupiat, ac quælibet res appetit sui conservationem. Nemo quoq; est Dominus membrorum suorum. *d. l. liber homo. 13. in pr. ff. ad L. Aquil.* Qui igitur contra vim illatam, dum potest, sese non tuetur, contra DEUM, contra naturam, contra seipsum, contra Rempublicam peccare videtur, non minus ac si sibimetipsi manus violentas intulisset. *supr. thes. 4. Dd. comm. ad l. ut vim. 3. ff. de Iust. & Iur. Jacob. Ayres. d. tract. de homicid. part. 1. n. 69. Coras. de art. Iur. part. 2. c. 8. ferè in medio. Dissent. Volz. d. comm. c. 7. n. 23. cum seqq. Obrecht. d. tract. de Neceß defens. c. 6. n. 19. & seqq.*

XXI.

De marito porrò & uxore eadem teritur quæstio? Nos de ea idem, quod de præcedenti, statuimus.

Modica

Modica enim duntaxat castigatio maritis licita est in uxores: at verberibus, quæ ab ingenuis aliena sunt, sine justa causa afficere eas prohibitum. *l. consensu. 5. §. auth. ei subjecta. C. de repud. Novell. 117. c. 14.* Cujus castigationis cancellos si violat maritus, ista in crudelitatem & carnificinam degenerat, fitque per eum excessum offensio, alias ab initio à parte mariti licita, illicita: & per consequens defensio, quæ à parte uxoris illicita atque prohibita erat, fit justa atque permissa. Jacob. Ayrer. *d. tract. de homicid. part. 1. n. 71.* ubi allegat Jason. *in l. miles. §. qui judicat. n. 7 ff. de re judicat. & alios.*

XXII

Sin verò ex justa causa castiganti marito & pulsanti (*arg. l. 5. §. inter pulsationem. 1. ff. de Injur. Quamvis & abusive verberasse iste dicitur, qui pugnis cecidit. l. 15. §. verberasse. 40. eod.*) uxor resistat, & maritus ea audacia cominotus & provocatus, peplum uxoris summo artificio ejus capiti aptatum, involveret, *ut eleganter inquit Volz. d. c. 7. n. 68* & durioribus forsàn, quàm par esset, atque atrocioribus verberibus uxorem tractaret, adeò, ut vel statim vel paulò post mortem obiret, maritum quidem non omninò impunitum: attamen non ordinaria uxoricidii pœna denominata. *Constit. Elect. part. 3. Const. 4.* sed extraordinaria pro facti circumstantiis afficiendum fore existimamus.

Arg. l. Grachus. 4. C. ad L. Jul. de adult. l. Divus. 5. ff. ad L. Pomp. de parricid. Et modica (ut dictum est) ex justa causa permessa est castigatio in uxorem, *arg. l. 8. Cod. de repud.* Et, (ut rectè monet Volzius dicto loco) meminisse debent mu-

C lieres



lieres, tum verbera à maritis fore aliena, cum earum ora à malis verbis aliena fuerint. Ab uxore siquidem reverentiam & obsequium marito præstandum divina & humana Jura flagitant. *Genes. 3. vers. 16. Ephes. 5. vers. 22. 1. Timoth. 2. vers. 12. Tit. 2. vers. 5. 1. Petr. 3. vers. 1. l. alia caussa. 14. §. 1. ff. solut. matrim. l. sicut. 48. ff. de oper. libert. l. un. §. 7. C. de rei uxor. action. Obrecht. d. c. 6. n. 50. 51. cum seqq. Volz. d. loc.*

XXIII.

Imò hoc defensionis privilegium etiam contra Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Sacerdotes, Clericos, aliasque religiosas personas vim facientes, ac contra ipsum Pontificem Romanum procedere, intrepidè asserimus.

Cum Zoannet. d. tract. defens. tripart. part. 1. n. 12. Obrecht. d. tract. de neceß. defens. c. 6. n. 4. & seqq. per c. si verò. 3. de Sent. excommun. & alia ab iisdem allegata.

XXIV.

Eodem modo nec famulis nostræ ætatis defensionem adversus Dominos atrocius tractantes, modumque concessæ coercitionis excedentes denegandam esse censemus.

Ubi enim offensio est prohibita, ibi semper defensio justa intelligitur. Quoniam verò famuli nostri, quorum operâ hodie utimur, sunt homines liberi, & servitus illa antiqua penitus ab usu nostro recessit, ac quod Jure Rom. servis non licebat, ab iis impunè & jure fit, *Wesemb. in Parat. ff. de manumiss. n. 1. Schneidew. in pr. Inst. de Jur. personar. n. 10. & §. fin. n. 6;* sanè non licitum erit Dominis atrociter eos tractare, sed multò rectius, quod libertis concessum. *l. 7. §. praterea. 2. ff. de Injur. ipsis competere videbitur, & per consequens: Quicquid ob defensionem corporis sui fecerint, jure fecisse existimabuntur. Volz. d. Com. c. 7. n. 41. Obrecht. d. c. 7. n. 24. & seqq.*

XXV.

Quod in discipulis quoque, Magistris ac
Præceptoribus obtinere, manifesti Juris est.

Levis enim duntaxat castigatio permiffa est docenti. *l. sed
erfi. §. 3. ad L. Aquil.* At Præceptoris nimia sævitia culpæ alli-
gnatur. *l. 6. cod. l. item queritur. 13. §. 4. ff. locati.* Obrecht. *d.
tract. de Neceff. defens. c. 6. n. 25.* Jacob. Ayres. *d. tract. de homi-
cid. part. 1. n. 77. & 78.*

XXVI.

Juffus ab aliquo potente tyranno, ut alium
interficiat, adeò, ut si hoc non faciat, mors cer-
tiffima ipfum maneat, si parèdo, proximum,
licet sibi non nocentem, occidat, an justam
defensionis causam prætereendere queat, quæ-
ritur? Nos affirmamus.

I. Per text. *l. si quis fumo. 49. §. 1. ff. ad L. Aquil.* ubi excu-
fatur ille, qui incendii propinqui metu percussus ædes vici-
nas fuarum ab incendio vindicandarum causa intercèdit. *l.
liber homo. 37. in pr. ff. eod.*

II. *l. is qui aggressorem 2. C. ad L. Cornel de fcar.* ibi: is qui
aggressorem vel *QUEM CUNQUE ALIUM. d. l. 3. cod. ibi:* Defen-
sor propriæ salutis in Nullo peccasse existimatur.

III. Ex ordine charitatis & cognationis, quo quisque
sibimetipfi proximus esse censetur, cujus intuitu jura nostra
ignoscendum ei pronunciant, qui qualiter qualiter sanguinè
suū redemptum voluit. *d. l. 1. ff. de bon. eor. qui ant. sentent. mort.
sibi consc.* Zoannet. *d. tract. defens. tripart. part. 1. n. 24. & seqq.*

XXVII.

Nec tandem refert, sive in sacro, sive reli-
gioso, sive publico, sive privato, aut quovis
demū privilegiato loco defensio suscipiatur.

I. Per textuum allegatorum generalitatem, qui permittunt cuique indistinctè quovis loco defensionem. Textus autem generaliter loquens, nec limitationem ex aliis textibus recipiens, generaliter est accipiendus, & ad omnes casus, quos necit rationis paritas, extendendus. *d.l. de pretio. 10. ff. de public. in rem action. l. 12. l. 27. ff. de LL. l. 3. §. fin. ff. de constit. pecun.*

XXIIX.

Occurrit porrò defendenda salus propria aut aliena. Propria: Corporis, rerum & existimationis.

c. 2. vers. si autem. ibi: Te tuaque liberando. extr. de homicid. Obrecht. d. tract. c. 7. 8. 9.

XXIX.

De defensione proprii corporis inter omnes constat, eam tam naturali quàm positivo Jure cuique permissam esse: adeo, ut aggressorem injustè impetum facientem justè & impunè, servato tamen moderamine inculpatae tutelæ, occidere liceat.

d.l. 3. ut vim. ff. de Iustit. & Iur. litag. 4. l. scientiam. 45. §. qui cum aliter. ff. ad L. Aquil. l. is qui aggressorem. 2. l. 3. l. 4. C. ad L. Cornel. de sicar. Zoannet. d. tract. tripart. defens. part. 1. ab initio usq. ad n. 35. Harprecht. Instit. de publ. Iudic. §. item lex Cornelia. n. 53. Bocer. de bello & duell. c. 10. n. 10.

XXX.

Rerum quoque nostrarum defensio quin omni jure licita sit, extra omnem dubitationis aleam ponimus, ita ut vim vi armaque armis repellere possimus.

Per

Per d.l. 4. ff. ad L. Aquil. l. 3. S. cum igitur. ff. de vi & vi armat. l. 17. eod. l. 1. C. unde vi. & tot. tit. C. quando liceat se absq. Judic. vind. d. c. 2. extra de homicid. c. si perfodiens. 3. eod.

XXXI.

An verò ob solam rerum defensionem æquè, ac ob corporis salutem tuendam adversarium impunè interficere liceat, scrupulo non caret? Nos illorum, qui sequentem in modum distinguunt, sententiam tanquam tutiorem amplectimur.

XXXII.

Defensio rerum aut conjuncta est cum periculo vitæ & personæ, ita ut dum res defendere conamur, in vitæ quoque discrimen adducamur: Aut citra vitæ periculum res duntaxat, & facultates defendimus & propugnamus. Ita distinguit

- I. Scriptura sacra. *Exod. 22. vers. 2.*
- II. Jcti: Gajus. *l. 4. S. 1. ff. ad L. Aquil. l. 54. S. furem. 2. ff. de furt. Ulpianus. l. 5. in pr. ff. ad L. Aquil. l. furem. 9. ff. ad L. Cornel. de Sicar.*
- III. Imperatores: Diocletianus. *l. 1. C. unde vi. Valentinianus, Theodos. & Arcadius. l. 1. C. quand. lic. se absq. judic. vindic. Idem Arcad. Honorius & Theodosius II. l. 2. C. eod.*
- IV. Pontifex in *d. c. si perfodiens. 3. Extr. de homicid.*
- V. Dd. ita sentientes magno numero refert & sequitur Volz. *d. comm. c. 7. n. 91. Obrecht. d. tract. de necess. defens. c. 8. n. 7. Bocer. de bell. & duell. c. 9. n. 1. & 2. Harprecht. d. S. de publ. Judic. n. 102. ubi & dissent. referuntur, quibus addimus Jacob. Ayrer. d. tract. de homicid. part. 1. n. 156.*

XXXIII.

Priori casu, defensionis limites ad eadem usque & necem aggressoris violenti extendunt LL. tam sacræ, quam profanæ.

d. c. 22. vers. 2. Exod. c. si perfodiens. 3. Extr. de homicid. ibi. Te tuaque liberando. l. itaq. 4. §. 1. ad L. Aquil. ibi: Furem nocturnum. Et: si telo se defendat. l. 3. §. eum igitur. ff. de vi & vi armat. d. l. 1. C. quand. liceat se absq. judic. vindic. ibi: Mortem, quam minabatur, excipiat. l. 2. eod. ibi: Qui si resistere ausi fuerint, in his velox ubique jubemus esse supplicium. Et vers. seq. Latrones cum simil. Zoannet. d. tract. defens. tripart. part 1. n. 39. & 50. Volz. d. cap. 7. n. 104. & seqq. Obrecht. d. c. 9. n. 17. 18. & seqq.

XXXIV.

At posteriori casu, sola rerum caducarum jactura nemine in eò adigere debet, ut in vasorum illarum perimat.

I. Per text. alleg. *Exod. 22. vers. 2. c. 2. c. 3. Extr. de homic. c. suscepimus. 10. Extr. eod. l. 4. §. 1. ad L. Aquil. l. si ex plagis 52. §. tabernarius. 1. in fin. eod. l. furem 9. ad L. Cornel. de Sicar. ibi. Sine periculo suo. d. l. 1. l. 2. C. Quand. liceat se absq. judic. vindic. & alios.*

II. Præstantius, dignius, atque nobiliter præferendum, magisque concernendum, quam minus nobile, præstans atque dignum. Vita autem hominis longè nobilior, præstantior atque dignior hisce caducis rebus: Ergo, &c.

Minor probatur 1. per *l. justissime. 44. ff. de adulit. edict. & l. sancimus. 21. in fin. C. de SS. Eccles.*

2. Quia potior est finis suo finito. Atqui homo est finis omnium rerum, cujus gratia res omnes creatæ & com-

paratæ

parata sunt. *Genes.* 1. v. 26. & 29. *l. cum igitur.* 2. ff. de stat. hom.
l. in pecudum. 28. ff. de usur. E. &c.

3. Facit textus in *l. in servorum.* 10. §. 1. in personis. 2. ubi
Ictus percussione humani corporis utlibet levem, qua-
vis pecuniaria pœnâ majorem æstimat. *D. de pœnis.*

IV. Quicquid lex non dicit, nec nos dicere debemus.
Nov. de triente. 18. c. consideremus. 5. *l. dissentis.* 5. *C. de repud. c.*
Obertus. 1. de feud. cognit. Atqui nulla lex dicit nec permit-
tit ob solam rerum defensionem homicidium esse commit-
tendum. E. Donell. 1. *C. unde vi.* num. 6. & 8. Zoannet. d.
tract. defens. tripart. part. 1. n. 36. & multis seqq. Volz. d. *Comm.*
c. 7. n. 92. Treutl. volum. 1. *disput. 1. thes. 4. L. C. Dissent.* Hip-
polyt. de Marfil. in *dict. l. furem.* 9. ff. ad *L. Cornel. de Sicar.*
Vasquius *illustr. controuv. lib. 1. c. 18. n. 6.* Jacob. Ayrer. d. *tract.*
de homicid. part. 1. n. 156.

XXXV.

Idque indistinctè procedere tuebimur,
sive res sint viles sive preciosæ, sive juris reme-
dio recuperari queant, sive non.

I. Per text. general. d. *l. 21. C. de SS. Eccles.* ibi Divina-
rum: Et: Non absurdum est, animas hominum quibuscunq;
vasis & vestimentis præferri. Generalis verò locutio legis
omnis includit casus, licet in uno major quàm in alio urgeat
ratio. *l. quod autem.* 1. ff. de *aleat. l. in fraudem.* 15. in *fin. de te-*
stam. milit. Et verba simpliciter prolata simpliciter sunt in-
telligenda. *l. hoc legatum.* 45. de *legat. 3.* E. hic quoque æqui-
parata erit ratio. *l. 14. ff. de LL.* Et Thesis nostra de omni-
bus rebus, cùm omnium quoad comparationem vitæ ho-
minis eadem sit ratio, indistinctè & simpliciter vera erit,
quamvis in vilibus & recuperabilibus fortius stringat ratio,
quàm in pretiosis & irrecuperabilibus. Volz. d. *Comm. cap. 7.*
n. 104. & 105. Obrecht. d. *tract. de necess. defens. cap. 8. n. 9.*
& seqq.

XXXVI.

Honos sive existimatio nostra læditur
verbis aut factis.

*arg. l. 1. §. 1. ff. de Injur. d. l. ut vim. 3. ff. de Inst. & Iur.
Obrecht. d. tract. c. 2. & 9.*

XXXVII.

Verbalem injuriam aliã verbali, quæ sc.
ad excludendum crimen objectum, fidemq;
injuriantis minuendam tendit, retorquere
atque repellere fas esse, nobis persuasum est.

Tum LL. Rubric. tit. quod quisque juris in alium sta-
tuerit, ipse eodem jure utatur. *l. qui cum major. 14. §. si libertus.
6. ff. de bonis libertor. l. quæ omnia. 25. ff. de Procurat. l. si quis in
gravi. 3. §. utrum. 14. ff. de SC. Silan. l. libertus à patrono. 14. ff. de
in jus vocand. Tum rationibus. Fama namque & vita pari
passu ambulare dicuntur. *l. Iulianus. 26. ff. si quis omis. caus.
test. l. justa. 9. in princ. ff. de manumiss. vindic. Imò fama est
res inæstimabilis. l. si in duabus. 104. ff. de R. I. & oculorum
amissione gravior censetur. l. infamie. 8. C. de decurion. lib. 10.
Sicut igitur vitam, ita famam quoque defendere non modò
quisquam potest, sed etiam tenetur: ac proinde animo pur-
gandi & defendendi existimationem suam injuriam verba-
lem atque convicia meritò retorquet. *arg. l. 1. C. unde vi. l. 2. c.
eod. Schneidw. Instit. de Injur. ad §. injuriam. 12. in f. Har-
precht. d. §. item Lex Cornelia. de publ. Judic. n. 91. Obrecht.
d. tract. c. 9. n. 8. Dn. Hunnius Instit. disput. 17. th. 32. Dissent.
Zoannet. part. 1. d. tract. à n. 51. usq. ad 57.***

XXXIIX.

An verò injuriam verbalem reali repel-
lere liceat, adeò, ut quis ob solius honoris de-
fensionem conviciatorem impunè interfi-

cere

cere queat, controvertitur inter Dd. Nos negativam tuendam suscipimus.

I. Ubicunque alia remedia adsunt, defensio extrajudicialis violenta locum non habet. *d. l. scientiam. 45. §. qui cum aliter. 4. ff. ad L. Aquil. l. nullus. 14. C. de Judæis. l. si cujus rei. 13. §. equissimum. ff. de usufr. & quemadmod. quis utat. l. 7. ad L. Jul. de vi privat. l. non est singulis. 176. de R. 7.* At hinc sunt alia remedia, tum judicialia, actio nimirum injuriarum. *tot. tit. D. & C. de Injur. tum extrajudicialia; Retorsio nim. injuriarum. d. l. quæ omnia. 25. §. 1. de procurat. E.*

II. Defensio legitima debet esse moderata, & ab omni vindicta procul remota. *d. l. 45. §. 4. ad L. Aquil. d. l. 1. C. und. vi.* Quod si injuria provocatus injuriantem vulnerat, aut planè jugulat, hoc moderamen longè excedit. Nam arma armis repellenda, verba verbis. *d. l. 1. §. 27. ff. de vi & vi armat. & injuria jam illata non potest fieri non illata. per l. in bello. 12. §. 2. in pr. ff. de capt. & postlim. revers. l. si ita quis. 31. ff. de eviction. Zoannet. d. loc. Volz. d. comm. c. 7. n. 127. Dn. Hunn. d. disputat. 17. thes. 31. Wesenb. in Parat. C. Quand. lic. se absq; Judic. vindic. n. 5.*

XXXIX.

Ejusdem farinae est sat diu agitata quaestio: An provocatus in certamen licitè acceptare duellum, atque evocantem impunè interficere queat? Nos itidem negamus, quantumvis etiam contumeliosis necisque minacibus verbis provocatio fiat.

I. Per constit. Elector. *part. 4. constit. 9. & 10.* Equissimum enim est (per supra dicta) Magistratum illos, quos suâ jurisdictione componere potest, ad arma & rixam procedere non pati. *d. l. 13. §. equissimum. ff. de usufr. & quemad.*

D

quis

quis utat. fruatur. junctis iis, quæ in præced. thes. dicta sunt.

II. Imò tale duellum acceptans, peccat contra DEUM, divinam clementiam tentando, & vindictam divinis humanisque legibus prohibitam exercendo. *c. fin. de purgat. vulg. c. monomachia. 2. q. 4. eod.* Contra Magistratum, dum, sprete judiciali ope, sibi ipse jus dicere conatur. *l. extat. 13. ff. quod met. caus. d. l. non est singulis. 176. de R. J. :* & contra seipsum, dum vitam propriam furori provocantis juraque divina & humana violentis temerè opponit. Jacob. Ayren. *d. tract. de homicid. p. 1. n. 141.* Bocer. *de duell. c. 8. n. 17. & 18.* Obrecht. *d. tract. de Neces. defens. c. 11. n. 30. & seqq.*

XL.

Nec ullam provocatum non apparentem infamiam incurrere censemus.

I. Omnis namq; infamia præsupponit aliquid contra LL. aut bonos mores commissum esse. *tot. tit. ff. & C. de his qui not. infam. & Ex quib. caus. infam. irrog.* Wesenbec. in *Parat. ff. eod. n. 1.* At hîc nihil tale committitur. Obtemperans enim DEO & Magistratui, quî facti aliquam sibi infamiam metuere debet?

II. Nesciam suam negligit *contra c. noli. 12. q. 1.* qui vulnus existimationi ab adversario inustum Emplastro Judiciali curat. Bocer. *de bello & duell. c. 8. n. 15. in fin.*

III. Per *Nov. 69. in pr.* ubi Imperator Justinianus, nullam fortitudinem mereri laudem inquit, nisi cum justitia sit conjuncta; imò subtractam ab ea, delictorum solummodo, non bonorum occasionem præbere. Obrecht. *d. loc. Bocer. d. c. 8.*

XLI.

Unde meritò ab Obrechtio tanquam impia & injusta improbatur illa Germaniæ consuetudo, quâ pro eo loco, quem talis evocatus

catus

catus in accumbendo occupat, mappa in si-
gnum ignominiae refecatur.

Consuetudo enim debet esse rationabilis. *l. quod ratio-
ne. 39. ff. de LL. Nov. 134. c. 1. l. 2. C. quae sit long. consuetud.* At
quam longè aberret hæc consuetudo à vera ratione, per su-
pra dicta patebit. E. Videatur pluribus Obrecht. *d. c. 11. n. 63.*
& seqq. ubi & plures allegat.

XLII.

Quòd si tamen gravissimis talibus & a-
cerbissimis convitiis lacepsitus, iusto dolore
motus injuriantem interficiat, non ordinaria
L. Corneliae, sed mitiori aliqua extraordina-
ria poena afficiendus erit.

I. d. Const. Elect. 10. p. 4. *ibi*, Würde sichs aber
zutragen / das der so durch Ehrenverlegliche Wort
gefordert / den Provocanten entleibere / so sol er in
erwegung der Personen umbstände / mit ordentli-
cher Straff der Todtschläger nicht beleyet / son-
dern wilkührlich / als mit Landes verweisung vnd
dergleichen gestrafft werden. Ignoscendum enim est
ei, qui voluit se ulcisci provocatus. *l. qui cum major. 14. S. si
libertus. ff. de bon. libert.* Et difficile est, justum dolorem tem-
perare. *l. si adulterium. 38. S. Imperator. 8. ff. ad L. Jul. de
adult.* Et quod calore iracundiae fit, non imputatur. *Specu-
lat. de accusatore. in pr. n. 11.* Consult. ad Constit. Sax. *part.*
4. quest. 60. Bocer. *d. cap. 8. n. 19.* Obrecht, *d. c. 9. n. 21.*

XLIII.

Quid de illo, qui contra realem honori
& pudori injuriam inferentem sese defendit,
statuendum, quaeritur?

Respondemus ex rescripto D. Hadriani. *l. 1. §. Divus. 3. ff. ad L. Corn. de Sicar.* Eum, qui stuprū sibi vel suis per vim inferentē occidit, dimittendum. Facit etiam *d. l. 3. ff. de Just. & Jur. verbo injuriam.* Imò bonis viris major iste metus debet esse quam mortis. *l. isti quidem. 6. §. 2. ff. Quod met. caus.* Jacob. Ayrer. *d. tract. de homic. p. 1. n. 135. & 140.* Obrecht. *d. tract. c. 2. n. 4.*

XLIV.

Aliorum defensionem suscipimus vel publicæ vel privatorum salutis causa.

XLV.

Publica salus defenditur, quando quis ad Ecclesiæ, aut Reipublicæ salutem propugnandam & vindicandam cum patriæ & publicæ libertatis hoste aut proditore decertat, eumque interficit. Quod defensionis sive duelli genus non modo omni jure licitum, sed etiam maxima laude dignum censemus.

Per *l. 1. §. bestias. ff. de postulando l. 2. ff. de Just. & Jur. d. l. minime. 35. ff. de religios. & sumpt. funer. rubr. & tot. tit. C. quand. lic. se vel publ. devot. absq. jud. vindic. & ibi Wefenbec. in Parat. n. 2.* Imò, qui pro Republica vitam profundunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. *in pr. vers. sed si in bello. Instit. de excusat. tutor.* Jacob. Ayrer. *tract. de homicid. p. 1. n. 155.* Bocer. *de duell. c. 3. per tot.*

XLVI.

Hinc conscius criminis læsæ Majestatis aut conspirationis contra Rempubl. aliusve sceleris in publicum detrimentum vergentis,

illud

illud revelare, detegere eique prævenire teneatur, adeo, ut si hoc non faciat, dum potuit, pœna eum maneat.

Per l. 2. l. utrum. 6. ff. ad L. Pomp. de parricid. l. quisquis. 5. §. id quod. 6. C. ad L. Jul. Majest. l. culpa caret. 50. ff. de R. J. l. i. §. quid ergo. 21. verb. si qui conscij. ff. de Sc. Sillanian. l. Metrodorum. 40. ff. de pœnis. Zoannet. d. tract. part. 1. n. 113. Jacob. Ayrer. d. tract. part. 1. n. 291. Harprecht. Instit. de publ. Judic. §. publica autem judicia. 3. n. 21. & seqq.

XLVII.

De privatorum defensione quæritur: An quis alterum defendere jure teneatur? Negant nonnulli; Nos contra, unumquemque quoscunq; in periculo constitutos contra violentum aggressorem non modo posse, sed etiam astringi defendere, statuimus.

Tum Civili, tum Canonico Jure. I. l. culpa caret. 50. l. nullum crimen. 109. & ibi Petr. Fabr. ff. de R. J. l. 6. §. 8. & 9. ff. de re milit. l. scientiam. 45. in pr. ff. ad L. Aquil. c. quant. 47. de sentent. excommun. c. non inferenda. 23. q. 3. c. dilecto. 5. de sentent. excommun. in 6.

II. Per text. proverb. 24. vers. 11. 12. Matth. 22. v. 39. & Luca 10. vers. 27. Diliges proximum sicut Te ipsum. Sicut igitur quisquis semetipsum defendere tenetur, ut supr. thes. 4: ita quoque proximum, quem æquè ac nosmetipsos diligere debemus, ratione naturalis cognationis inter homines. Qua sicuti monemur, hominem homini insidiari nefas esse. d. l. 3. ff. de Just. & Jur: ita docemur, hominem beneficio affici, hominis interesse. l. servus ea lege. 7. in fin. ff. de Servis exportand. Zoannet. d. tract. part. 1. n. 97. ubi latè. Volz. d. comm. in app. n. 27. & seqq. Obrecht. d. tract. c. 7. n. 39

cum multis seqq. Dn. Hunn. *d. disput.* 17. *thes.* 18. Treutl. *volum.* 1. *disputat.* 1. *thes.* 4. L. C. & *volum.* 2. *disputat.* 32. *thes.* 6. L. I. Ubi tamen hoc de Jure Civili procedere negat. Dissent. Jacob. Ayrer. *d. tract. de homicid.* p. 1. n. 269. & *seqq.*

XLIIIX.

Etiam cum internecone adversarij, si impetus adversarij inhiberi & defendi innocens aliter nequeat.

I. Per Constit. crimin. Carol. V. *art.* 142. & 150.

II. Per exemplum Moyfis. *Exod.* 2. *vers.* 11. & 12. *Aclor.* 7. *vers.* 23.

III. Per *d. l. 1. §. item Divus. ff. ad L. Cornel. de Sicar. & d. canon. inferenda.* 23.

IV. Quia concessâ defensione proximi, necessariò quoque concedendum illud, sine quo defensio fieri nequit. *arg. d. l. 2. ff. de Jurisdic. & supr. allegat. thes.* 3. Volz. *d. app. n.* 23. Zoannet. *d. loc. latè* Jacob. Ayrer. *d. tractat. de homicid. part. 1. n.* 250. *cum seqq.* Harprecht. *d. §. Item Lex Cornelia. n.* 64. *de public. Judic.* Hunn. *d. disputat. thes.* 19. Dissent. Obrecht. *d. tract. de necess. defension. c.* 7. ferè per totum.

XLIX.

Sive sint necessarii sive extranei periculo injusto expositi.

I. De necessariis est textus. *in d. l. isti quidem.* 8. §. 3. *ff. quod met. caus. d. l. 1. §. item Divus. ad L. Cornel. de Sicar.* Deinde, quando in jure nostro fit mentio personæ propriæ, etiam alij, quos circa se habet, necessarii intelliguntur. *arg. d. l. 1. §. penult. ad L. Cornel. de Sicar. l. 2. ff. de us. & habit. l. 3. §. sed quod diximus. ff. de penu legat.*

II. Pro extraneis facit. 1. *l. 3. ff. de Justit. & Jur.* Quoniam natura inter omnes homines cognitione quâdam cõ-

stituit,

stituit, & quemlibet hominē beneficio affici hominis inter-
est. *d. l. Servus ea lege. 7. in fin. ff. de Servis export.* Et præ-
ceptum istud de dilectione proximi ad omnes homines per-
tinet, sive peregrini sint, sive domestici, ut patet ex *Lucæ 10.*
cap. Facit etiam. l. non tantum. 6. ff. de appellat. & relat.

2. Quia extranei negotia procurare licet. *l. 1. ff. de negot.
gest. E. multo magis ejus vitam defendere.*

3. Per generalitatem textuum supra allegatorum. *Volz.
d. loc. n. 38. Zoannet. d. tract. part. 1. n. 86. Bocer. d. tract. de bell.
& duell. c. 10. n. 4. Harprecht. d. loc. n. 64. & 76.*

L.

In extraneis tamen hoc ita demum ver-
rum esse ponimus, si sine propriæ vitæ & salu-
tis periculo (ubi tamen non quemvis levif-
simum ac muliebrem metum admittimus.
l. 5. & 6. ff. quod met. caus. Hujus enim excusatio nulla
est. *l. 184. ff. R. 7*) fieri potest.

Id enim quis alteri præstare tenetur, quod sibi non no-
cet & alteri prod. *st. l. in summa. 3. §. item. 5. vers. quanquam
tamen. ff. de aqua & aq. pluv. arcend. l. si pater. 34. §. 1. ff. de
donation. l. metum. 9. §. 1. vers. sed licet. ff. quod met. caus. c.
Ex parte. 47. de appellat.* Charitas enim à seipsa incipit. *d. l.
preses. C. de Servit. & aq.* Quò facit etiam illud, quod ex
Matt. 25. supra adductū: ubi virgines prudentes fatuis inqui-
unt: Ne nobis & vobis deficiat. Allegati authores d. locis.

LI.

Quod in necessariis & arctiori vinculo
conjunctis personis aliter sese habet; cujus-
modi sunt parentes, liberi, fratres, conjuges
Magistratus, Subditi, Servi, &c.

Ratione specialis obligationis & singularis nexu, quo sibi

invi-

in vicem obstrictæ sunt hæ personæ. Duo autem vincula fortius ligant. Et injuria uni harum personarum illata, ad alterius quoque dolorem & injuriam pertinere dicitur. *l. 1. §. 3. ff. de injuriis §. patitur. 2. Instit. eod.* De parentibus Paulus respondit. *l. amicissimos. 36. §. 1. de excusat. tutor. d. listi quidem. 8. §. 3. ff. quod met. caus. d. l. 1. §. item Divus. ad L. Cornel. de Sicar. l. 1. 2. 3. de liberal. caus. & alibi de filiis. arg. est l. furiosæ. 4. ff. de curat. furios. dand. tot. tit. de obseq. à libert. & liber. pr. stand. l. 1. & tot. tit. C. de alend. liber. etiam naturalibus. arg. Nov. 74. c. 1. Nov. 89. c. 9. l. parentes. 6. ff. de in jus vocand. Fratris quoque defensionem suscipiendam esse, arg. est tit. Instit. de Fiduc. tut. l. hi tamen. 11. in pr. ff. de accusat. l. 2. l. 3. §. 2. ff. de liberal. caus. l. sed & hæ personæ. 35. in pr. ff. de procurat. Pro conjugibus defendendis pugnat *l. 1. ff. de rit. nupt. & §. nuptiæ. fin. Instit. de patriapotestat.* ubi nuptiæ dicuntur consortium omnis vitæ, divini humaniq; Juris communicatio. *l. Maritus. 2. 1. C. de procurator. Nov. 117. c. 9. & sepe alleg. l. 1. §. Divus. ff. ad L. Cornel. de Sicar. d. l. 1. §. item aut. ff. de Injur. Beust. de Nupt. part. 2. c. 66. pag. mibi 260.* Quæ ad Sponsum quoque & Sponsam optima ratione extenduntur.*

1. Per *l. si sponsa. 74. ff. de Jur. dot.* Cingendus enim pro cincto habetur. *l. pen. ff. de milit. testam.* Et potentia actui propinqua, pro actu habetur. *l. qui pœna. 8. §. Divus. ff. de manumission.*

2. arg. *l. oratio. 16. ff. de Sponsal. l. 5. vers. Quamvis. C. de bon. quæ liber.*

3. Quia injuria Sponsæ illata ad contumeliam Sponsi spectat. *l. 15. §. sponsum. 24. de Injur.* MAGISTRATUS præterea jurisdictioni suæ subjectis succurrere jubetur. *l. 3. l. 6. §. ne potentiores. 2. ff. de offic. Præsid. l. ult. in pr. ff. quod met. caus.* Quin Servus quoque Domini salutem etiam cum capitis periculo tueri teneatur, deciditur *in l. 1. §. 28. & tot. tit. ff. ad SC. Sillan. Zoannet. latè d. tract. part. 1. à n. 56. usq; ad 85.*

Jacob.

Jacob. Ayrer. *tract. de homicid. part. 1. n. 286. Volz. d. append. n. 34. Bocer. de duell. c. 10. n. 3.*

LII.

Contendunt quidam, uxorem nec posse nec debere defendere maritum: verum ab his non veremur dissentire.

Per *l. feminas. 41. ff. de procurat. l. 3. §. 2. ff. de liber. caus. l. affectionis. 5. ff. de donat. l. caterarum. 9. ff. de usu & habitat. Zoannet. d. loc. n. 73. 74. & 75. Jacob. Ayrer. d. tract. part. 1. n. 220. cum aliquot seqq.*

LIII.

Domino & Patre Vasalli uno eodemque temporis momento mortis periculo expositis, quaeritur, utri potius succurrere teneatur Vasallus, si utrique opem ferre nequeat? Nos patris partes defendendas suscipimus.

I. Quia patri duplici vinculo obligatus est filius, naturali & civili. Domino vero civili duntaxat. Duo autem vincula fortius ligant, quam unum. *c. 1. de treug. & pace.* Et quanto fortius est naturale vinculum, tanto major & arctior est obligatio. *d. aurb. itag. C. comm. de success.*

II. Naturales stimulos nulla constitutio potest coarctare. *d. l. amicissimos. 36. §. Lucius. 1. ff. de Excusat. tutor.*

III. Filio persona patris semper honesta & sancta debet videri. *l. liberto. 9. ff. de Obseq. parent. prestand.* Jam vero si filius parentem, quem in extremo vitae discrimine constitutum cernit, deserit, contra pietatem naturalem facit. Ea vero, quae pietatem laedunt, & contra bonos mores fiunt, in Jure nostro factu impossibilia creduntur. *l. filius. 15. ff. de condit. instit. l. nepos. 125. in fin. ff. de V. S. Zasius de feud. part. 7. n. 32. Andr. Kohl. tract. de Servit. feud. p. 2. n. 99.*

An Vasallus teneatur juvare Dominum contra parentem, sat ponderosa est quæstio? Affirmativam de Jure veriore esse, non dubitamus, ita ut filius (*licet invitus non per se-metipsum*) per substitutum tamen Domino justum auxilium præstare teneatur.

§. *fin. c. hic finitur lex. lib. 2. feud. ibi*: Contra omnes debet Vasallus Dominum adjuvare, & contra fratrem, & filium, & patrem. Qui enim sentit commodum, sentiet quoque onus. *l. secundum. 10. ff. de R. I.* Hoc autem est de oneribus feudilibus, & ad hoc obstrictum esse Vasallum Domino, de hoc ipsi constat è juramento fidelitatis Seniori præstito respectu beneficii feudalis à Domino accepti. Ergò aut hoc onus & servitium præstandum, aut illud, cujus gratia debetur, feudum dimittendum.

II. Ea, quæ sunt Juris naturalis, in totum quidem abrogari non possunt: tamen Lex Civilis ex justa aliqua causa eis modò addere, modò detrahere, modò ipsa limitare ex justa & probabili causa potest. *l. jus civile. 6. ff. de Instit. & Jur.* Zoannet. *ad l. 2. C. de pactis inter empt. & vendit. n. 186.* Videatur latè Andr. Khol. *d. tract. de servit. feudal. p. 3. n. 8. & seqq. & n. 47.* Vult. *de feud. lib. 1. c. 10. n. 33.* breviter quidem, sed eleganter hanc quæstionem decidens. Schneidew. *in Epitom. feud. p. 5. n. 93.* Dissent. Zasius *d. tract. de feud. part. 7. n. 29.* Dn. Hunn. *de feud. disput. 9. thes. 33.*

Quæritur porro; utrum posteriorem Dominum Vasallus adjuvare possit contra antiquiorem? Nos contrarium conamur defendere.

d.c. hic finitur lex. §. ult. libr. 2. feud. ibi: nisi contra alium Dominum antiquiorem, hic enim præferendus est. & §. in super. vers. Illud quoque præcipimus. de prohibet. feud. alien. per Fridericum. & text. general. in cap. unic. in pr. de Nov. form. fidel. Zasius d. p. 7. n. 23. Schneidew. d. Epitom. feud. p. 5. n. 96. Vult. de feud. lib. 1. d. c. 10. n. 30. Andr. Kohl. d. tract. p. 3. n. 38. & FF. Comm.

LVI.

Ita ut nec per substitutum id licitè facere queat.

Per d. c. hic fin. lex. §. fin. & l. 1. §. de jecisse. ff. de vi & vi armat. c. qui per alium. de R. I. in 6. Nam quod una via prohibetur alicui, ad id alià admitti non debet. c. cum quid una. eod. Hann. d. loc. Vult. d. cap. 10. Diss. Specul. tit. de feud. §. quoniam. n. 26. Schneid. d. Epit. p. 5. n. 96. Andr. Kohl. d. loc. ubi latè in utramq; partem.

LVII.

Ea omnia verò, quæ hæctenus de defensione necessaria dicta sunt, tum demum justè procedere sentimus, si fiant cum moderamine inculpatæ tutelæ. Aliàs non item.

d. l. 1. C. unde vi. d. c. significasti. Extr. de homicid. Wesenbec. in Parat. Codic. Quand. lic. unic. se sine Judic. vindic. num. 3. Schneidew. Instit. de Jur. Natur. Gent. & Civil. §. 1. n. 10. Borcholt. ad §. Juris præcepta. Instit. de Just. & Jur. num. 7. & Dd. omnes.

LIX.

Hoc autem moderamen in quibus consistat, non uniformis est Dd. sententia: Nos iis adstipulamur, qui in propulsatione vis atque injuriæ istud consistere affirmant.

Moti per d.l. ut vim. 3. ff. de Iustit. & Iur. Obrecht. d. tract. de neceß. defens. c. 11. n. 1. Dissent. Wesembec. d. tit. C. n. 7. Zoannet. d. tract. tripart. de Neceß. defens. p. 2. n. 1. Volz. d. Comm. c. 7. n. 31. Jacob. Ayrer. d. tract. de homicid. p. 1. n. 383. & Dd. comm. qui omnes in tribus, modo nempè, tempore & causa illud consistere asserunt. Paulò aliter Schneidw. d. loc. Aliter Bocer. de duell. c. 10. n. 31.

LIX.

Quod verbum propulsandi docet: Neminem in dubio vitæ discrimine constitutum, adversarium suum fugere teneri.

I. Leges namque & jura permittunt injuriam propulsare. d.l. ut vim. 3. ff. de Iustit. & Iur. l. 1. C. unde vi. adversus periculû se tueri. l. 4. §. 1. l. scientiam. 45. §. qui cû aliter. ff. ad L. Aquil. vim vi & arma armis repellere. l. 1. §. vim vi. 27. ff. de vi & vi armat. l. 3. §. eum igitur. 9. eod. d. l. 45. §. 4. ad L. Aquil. aggressorem occidere. l. 2. C. ad L. Cornel. de sicar. percussorem ad se venientem gladio repellere. l. 3. C. eod. perimere, impunè occidere. l. 4. eod. At horum nullum in fugiendo tergoque verendo, sed unumquodque in fortiter resistendo, repellendoque adversario consistit. Imò fuga majus quis sibi periculum creat: tum respectu fugientis, qui forsan non tanta celeritate pedum, quam adversarius, aut animo percussus facilè inter fugiendum pedem offendens cadere possit: tum respectu adversarii, qui invasi salutem pedum celeritati commissam cernens, nudum & inerme sibi relictum tergum, audacior & animosior redditus, majori furore procul dubio insequitur; quod aliàs non faceret, juxta illud: **Ein Schwerdt behelt das ander in der Scheiden.** E. cum LL. neminem fugæ sese committere suadent, nedum jubent, meritò erubescendum absque lege loqui. d. Nov. 18. c. 5. & in fraudem legis sententia ejus non circumvenienda. l. contra. 29. ff. de LL. l. fraus. 30. eod.

II. Igno-

II. Ignoscendum est ei, qui mortis metu perturbatus loco aut tempore plenum deliberandi consilium non admittente, aliquid fecit à Jure exorbitans. *l. hac consultissima. 8. §. at cum humana fragilitas. C. qui testam. facer. poss. l. i. in pr. ff. de Exercitor. action. E. multò minus defensor propriæ salutis, quem ipsa jura in nullo peccare pronunciant. d. L. 3. C. ad L. Cornel. de Sicar. d. l. ut vim. 3. ff. de just. & jur. pœnam ullam merebitur, dum animi perturbatione, temporis angustia & adversarii furore consilium ad maturitatem pervenire prohibentibus, id adhuc tamen facit, quod omnes LL. omniaq; jura facere permittunt. d. l. scientiam. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. l. Gracchus. 4. C. ad L. Jul. de adult. Zoannet. d. tract. part. 2. n. 8. & seqq. Volz. d. Comm. c. 7. n. 24. Obrecht. c. 10. n. 9. & seqq. Schneidew. d. §. 1. Instit. de Jur. Nat. Gent. & Civil. n. 15. Hippolyt. de Marfil. d. §. quoniam. in prax. Criminal. n. 86.*

III. Idem confirmatur à Carolo V. *Constit. Crimin. 140.* ibi: So einer jemand mit einer tödlichen Waffnen oder Wehr vberleufft / ansicht oder schleget / vnd der Benötigte kan füglich ohn Verletzung oder Fehrligkeit seines Leibes / Lebens / Ehr vnd guten Reumdens nicht entweichen / der mag sein Leib vnd Leben / ohne alle Straff / durch eine rechte Gegenwehr retten. Dissent. Harprecht, d. §. Instit. de publ. Iudic. n. 59. & quos allegat.

L X.

Sive insultatus sit nobilis, sive plebejus: sive clericus, sive laicus: sive miles, sive paganus, aut cujuscunque tandem conditionis.

I. Lege enim non distinguente, nec nostrum est distinguere. *d. l. pretio. 10. ff. de publ. in rem action. Et lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda. l. i. ff. de legat. prest: nisi per aliam legem specialiter loquentem restringatur. l. ii. ff. de in jus voc. l. ut gradatim. 11. §. et si lege. ff. de muner. & honor.*

At hinc Lex nullum discrimen constituit, sed indistincte quemque ad sui defensionem admittit. *d. l. ut vim. 3. ff. de Just. & Iur. ibi: Quisque, quo articulo omnes significantur. l. 29. ff. de hered. instituend. ut & d. Constit. Crimin. Caroli V. So einer jemand /rc.*

II. Eadem rationes, quae in Nobilibus, laicis & militibus certant, in plebeis quoque, clericis, & paganis locum inveniunt. *per supr. dicta.*

III. Legitima defensio est Juris naturalis & Gentium, *ut suprathes. 6. & seq.* Ea verò, quae sunt Juris naturalis & Gentium omnibus populis, omnibus hominibus aequè communia sunt. *l. 9. ff. de Just. & Iur. §. 1. & 2. Instit. de Iur. Nat. Gent. & Civil. E. Volz. d. loc. Zoannet. d. p. 2. n. 14. Obrecht. d. c. 10. n. 14. & seqq. Bocer. de duell. c. 10. n. 44. Dissent. Hippolyt. de Marsil. d. §. quoniam. in prax. Crimin. n. 87. 88. 89. qui distinguit inter Nobiles & plebejos. Jacob. Ayrer. d. tract. de homicid. p. 1. n. 17 qui distinguit inter laicos & clericos.*

LXI.

Dicimus: In dubio vitae discrimine constitutus. Illo namque casu, quando quis nondum realiter in vasus, sed extra periculum adhuc constitutus est, minime periculum temerè subeundum, corpusque furori adversarii opponendum esse censemus. Imo eum, qui hoc in casu adversarium vulnerat, aut etià interficit, limites inculpatae tutelae longè transgressum judicamus.

I. Per §. *injuria. 2. Instit. de L. Aquil. l. 5. in pr. vers.* Sin autem, cum posset apprehendere, malè occidere, magis est, ut injuria fecisse videatur. *ff. eod. d. Const. Crim. Carol. V. art. 140. ibi: Der benötigte kanfüglich obne fehrlichkeit oder verletzung seines Leibs / Lebens / Ehren vnd guten Leumbdens halben nicht entweichen. Et art. 142.*

Mehr

Mehr so fürgeben wird / daß der Todtschläger we-
re dem Benötigten wol füglich weis vnd ohn al-
le fehrlichkeit seines Leibes / Lebens / Ehren vnd gu-
ten Leumbdenn halben entwichen / darumb die ent-
leibung durch den verklagten Todtschläger nicht
aus einer rechten entschuldigten Nothwehre / son-
dern bößlich geschehen / r.

II. Ubi est legitima defensio, ibi oportet adesse offen-
sionem. At hic nulla est offensio, sed omnem sibi metip-
si accersivit. Lex enim non præsumit, eum in discrimine vitæ
fuisse, qui sua culpa se vitæ periculo exposuit. *l. item Mela. II.*
in pr. ff. ad L. Aquil. E. & c. Obrecht. d. tract. c. 13. n. 2. & seqq.
Bocer. d. tract. de duell. c. 10. n. 47. Hippolyt. de Marfil. d. §.
quoniam. n. 87. ubi tamen quoad Nobiles dissentit. Jacob.
Ayrer. d. tract. de homicid. p. 1. n. 147. & 148.

LXII.

Nullam quoq; differentiã inter arma, qui-
bus quis sese defendat, constituimus, sed quæ-
cunque necessitas & occasio suppeditat, me-
ritò admittimus.

Per *d. l. 3. ff. de Iust. & Iur. & defensor propriæ salutis in nul-
lo peccasse existimatur. d. l. 3. C. ad L. Corn. de Sic. Schneidew.*
d. §. 1. Instit. de Iur. Nat. Gent. & Civil. n. 15. Volz. d. Comm. c. 7. n.
136. Obrecht. d. tract. c. 5. n. 4. Hunn. d. disput. th. 17.

LXIII.

Sed si arma armis, vis vero inermis absque
armis quoque repellantur, sat inculpatam
tutelam iudicamus.

Per *d. l. scientiam. 45. §. qui cum aliter. 4. ff. ad L. Aquil. d. l. 1.*
§. vim vi. 27. l. 3. §. eum igitur. 9. ff. de vi & vi armat. l. 1. C.
Quand. liceat se absq; judic. vindic. l. 1. C. unde vi. Quò spe-
ctant etiam verba Constitution. Carolinæ, ibi: So einter

jemand

jemand mit einer tödtlichen Wehr oder Waffen
vberleufft. Zoannet. *d. tract. part. 2. n. 2. & seq.* Wefembec.
in Parat. C. d. tit. Quand. lic. se absq. judic. vind. n. 5. Schneidew.
d. loc. Obrecht. d. c. 5. & c. 13. n. 6. Bocer. *in tract. de duell. c. 10.*
n. 56. Jacob. Ayrer. *d. tract. de homicid. part. 1. n. 384.*

LXIV.

Nisi aggressor sit tam fortis ac robustus,
ut plus possit cum pugno, aut baculo, quam
alter cum ense.

Tunc enim aliter se non posse in vasus defendere in-
telligitur. *d. l. 45. §. 4. ad L. Aquil.* Ac proinde, quicquid fe-
cit, jure fecisse existimatur. *dict. l. 3. ut vim. ff. de Instit. & Jur.*
Schneid. *dict. loc.* Zoannet. *d. tract. part. 2. à n. 3. usq. ad n. 8.*
Obrecht. *d. c. 13. n. 11.* Bocer. *de duell. d. c. 10. n. 57.* Ayrer. *d.*
tract. de homicid. p. 1. n. 385.

LXV.

Aut ista arma ad verbera duntaxat adver-
sarii avertenda, & declinanda objiciat.

d. l. si quis percussorem. 3. C. ad L. Cornel. de Sicar. Zoannet.
Obrecht. Bocer. *dd. loc.*

LXVI.

Aut denique graviolem (*furore insultan-
tis crescente*) offensam, vulnerationem puta,
aut ipsam quoque mortem extimescat.

Quoniam tunc in dubio vitæ discrimine constituto
invaso. *l. 2. C. ad L. Cornel. de Sicar.* tutius & melius judicatur
prævenire, quàm præveniri, & in tempore occurrere, quam
post vulneratam causam remedium quærere. *l. f. C. ex quibus
caus. in integr. restit. necessar. non est. l. 2. C. Quand. liceat se
absq. judic. vindic.* Facta siquidem nullo jure possunt reddi
infecta. *l. in bello. 12. §. facta. ff. de captiv. & postlim. revers.* Non

tamen

tamen quemvis vanum ac muliebrem timorem hic ad probandam inculpationem tutelæ sufficere statuimus; cuius nulla justa est excusatio. *d.l. vani timoris. 184. ff. de R.I. & l. 5. ff. quod met. caus.* sed qui in constantem virum cadere potest. *l. 6. ff. eod.* & ex probabili ratione descendit; puta ex offendentis aliâs probata mala fama in eodem genere (ut loquitur Hippolyt. de Marsil. *d. prax. crimin. §. diligenter. n. 86.*) Et est textus in *l. licet. 15. ff. de recept. arbitr. Volz. d. Comm. cap. 7. n. 126.* cumq; secutus Obrecht. *d. c. 13. n. 12.*

LXVII.

Præterea verbum propulsandi in legitima defensione præcessisse offensam requirit.

Ubicunque enim non est offensio, ibi non est defensio, sed potius ultio & vindicta omni jure prohibita. *arg. d. l. ut vim. 3. ff. de Just. & Jur. d. l. 1. §. Eum igitur. ff. de vi & vi armat. l. 1. C. quand. lic. se absq. judic. vindic.* Relata namq; (juxta illud Logicorum) posita se ponunt, & seposita se perimunt. *per l. f. C. de indict. viduit. toll. l. 1. C. de cupr. ex Luco Daphn. lib. 11. tit. fin. Volz. d. Comm. c. 7. n. 153. Obrecht. d. c. 11. n. 8.*

LXIX.

Nemini tamen primum expectandi ictum suasores esse volumus; justo enim timore & armorum terrore motus ingruenti offensionis merito quisque tempestivè obviare potest.

I. *Arg. l. Sed et si quemcung. 5. in pr. ff. ad L. Aquil. Et d. Constit. Crimin. art. 140.* Ist auch der benötigte mit seiner Gegenwehr zu warten nicht schuldig / bis er geschlagen wird.

II. *LL. vim vi repellere & propulsare jubent. d. l. ut vim. 3. de Just. & Jur. d. l. 1. §. vim vi. d. l. 3. §. eum igitur. ff. de vi & vi armat.* Vis autem jam illata amplius repelli & propulsari

F

nequit.

nequit. *d.l. in bello. 1 2. §. facta. ff. de cap. & postlim. revers.* Ergo melius est intacta jura servare, quam post vulneratam causam remedium quærere. *d.l. fin. C. quib. ex caus. restit. in integ. non est neceß.*

III. Justus metus excusat. *l. 1. ff. quod met. caus.* At talis est metus mortis. *l. 4. & 5. ff. ad L. Aquil.* quem incutit terror armorum. *l. 5. & 6. ff. quod metus caus.* E. &c. Volz. *d.c. 7. n. 26.* Zoannet. *d. part. 2. n. 44.* Obrecht. *d.c. 11. n. 10.* Schneidew. *diß. loc.* Harprecht. *d. §. item L. Cornelia. Institut. de public. Judic. n. 54.*

LXIX.

Solas tamen minas sat justæ lædendi adversarii causæ præbere, negamus: nisi ad alia quoque, quæ animum truculentum & reipsâ nocere cupidum arguunt, transeat; licet ab eo ejectæ sint, qui aliàs solitus est minas executioni dare.

I. Quia verbalem injuriam verbali duntaxat, non reali retorquere licet. *thes 38. supra.* & vani timoris nulla est excusatio. *d.l. 184. ff. de R. I.* At hic nulla præter verbalem injuria adest. *E. &c.*

II. Quia id nunquam Legibus permissum legitur, sed potius contrarium probatur; potentiam nimirum tunc demum pro actu haberi, quando actui proxima, jamjam in actum transferetur. *d.l. qui pœna. 8. §. Divus. ff. de manumission. l. quod meo. 1 8. §. si venditorem. 2. ff. de acquir. possess.* Hoc autem in casu defensionis non aliter contingere præsumitur, nisi arma simul sumpserit, iisque quid gravioris tentaverit adversarius. *d.l. 4. l. 5. in pr. ff. ad L. Aquil. l. 2. l. si quis percussorem. 3. C. ad L. Cornel. de Sicar. l. si ut allegas. 4. C. eod. l. 1. & 2. C. Quando licet se absq. judic. vindic. d.l. 1. §. vim vi. d. l. 3. §. eum igitur. ff. de vi & vi armat. Zoannet. d. part. 2. n. 48. Obrecht. d.*

c. II. n. 13. Wefemb. in Parat. C. *Quand. lic. se sin. judic. vindic. n. 5.*
Dissent. Hippolyt. de Marsil. *prax. criminal. S. diligenter. n. 86.*
& seqq. Ayrer. *d. tract. de homicid. part. 1. n. 50.*

LXX.

Uti nec ob quamlibet levem offensam,
puta alapam aliamve levem percussione
adversarium interficere, fas est.

I. arg. *d. l. 45. S. qui cum aliter. 4. ff. ad L. Aquil. d. c. signi-*
ficasti. 18. Extr. de homicid.

II. *d. l. 1. S. vim vi. de vi & vi armat. l. 3. S. 9. ff. eod. l. 2. 3. 4.*
ad L. Cornel. de Sicar. l. 1. C. Quand. lic. se absq. Jud. vindic. ibi:
Mortem, quam minabatur, excipiat. Volz. *d. Comm. c. 7. n. 126.*
Zoannet. *d. part. 2. n. 42. & seqq.* Harprecht. *d. S. n. 94.* Bocer.
d. c. 10. de duell. n. 8. Obrecht. d. tract. c. 13. & seqq.

LXXI.

Unde cessante offensione, cessat quoque
defensio: Et quicquid aggressus contra ag-
gressorem aufugientem, aut victum prostra-
tumve ulterius tentat, non defensionem, sed
meram vindictam & ultionem sapere vide-
tur.

l. si ex plagis. 52. S. tabernarius. ad L. Aquil. d. l. 5. eod. l. 2. C.
ad L. Cornel. de Sicar. d. Constit. Carol. art. 142. ibi: Dasz der
Todtschläger darumb keine rechte Nothwehr ge-
than hette / wenn er des Entleibten / als er ihn ge-
schlagen hette / ganz mächtig / vnd von der benöti-
gung erlediget gewesen / oder meldet / dasz der Ent-
leibete nach gethaner ersten benötigung gewie-
chen / dem der Todtschläger aus freyem vnd unge-
nötigtem ding nachgefolget / vnd ihn allererst in

Der nachfolg erschlagen hette/ze. Zoannet. d. tract. part.
2. n. 57. Harprecht. d. S. n. 78.

LXXII.

Hinc in rebus nostris defendendis rectè
vis atque injuria propulsari dicitur, non tan-
tùm si eo ipso momento, quo res auferuntur,
sive possessione dejicimur, sed post aliquot
temporis intervallum, conquisitis primum
& convocatis amicis & auxiliatoribus posses-
sio vi armata recuperatur.

d. l. 1. §. vim vi. 27. l. 3. §. eum igitur. 9. ff. de vi & vi armat. l. qui possessionem. 17. ff. eod. l. sed & partus. 12. §. 1. ff. quod met. caus. Ordinat. Camer. Imperial. part. 2. tit. 9. & Constit. Carol. V. de pac. public. tit. Von der peen des Friedbrechers/ibi: Dem Beschädigten sampt seinen Verwandten vnd Helffern/ sol in mictler zeit/ auch vor vnd ehe die declaration folget/ gegen denselben Thättern vñ Friedbrechern/ auch den ihren vñnd den Mithelffern vnd Enthaltern sein Gegenwehr vnd Verfolgung zu thun/ zu frischer that/ oder wenn er seine Freund vnd Helfer haben mag/ solches auch allenthalben an Churf. Fürsten vnd Stände des wissens zu halten/ auszuschreiben vnd zu erkunden/ vñbenommen/ nicht verloren/ sondern gänglich vorbehalten seyn/ ze. Quamdiu enim durat occupatio rei nostræ, tamdiu durat offensio. E. durante offensio, concessa intelligitur defensio. Et quæcunque fiunt intra illud tempus, in continenti, continuè & defensionis gratia fieri præsumuntur. arg. l. 1. §. 1. l. interdum pura. 13. in pr. l. continuus. 137. ff. de V. O. l. quod ait Lex. 23. §. fin. ff. ad L. Jul. de adult. l. 21. §. uno contextu. 2. ff. de testam. & qui testam. fac. poss. l. cum antiquitas. 28.

in pr.

in pr. C. eod. Zoann. d. tract. part. 2. n. 53. & seqq. Volz. d. Comm. c. 7. n. 177. Bocer. de bell. & duell. c. 9. n. 3. usq. ad fin. Ayren. de homicid. part. 1. n. 390. Franc. Pfeil. Consil. 145. per tot.

LXXIII.

Illud autem temporis spatium, cum nulla lege definitum, certis regulis circumscribi nequit, meritò Judicis arbitrio moderandum committunt allegati authores.

d. loc. & Dd. comm.

LXXIV.

Quâ pœnâ tandem sit afficiendus ille, qui excedendo hoc moderamen inculpatæ tutelæ, adversarium occidit, non immeritò quaeritur? Nos distinguimus, utrùm ex proposito & dolo malo data ad hoc opera, an verò culpa tantùm absque dolo tale quid commiserit: Ita ut priori casu, homicidam tanquam improbum & dolosum ordinariæ L. Corneliæ pœnæ adjudicandum: Posteriori verò ea absolvendum, & extraordinaria pœna pro Judicis arbitrio plectendum esse censeamus.

Pro prior. thes. parte confirmanda facit.

I. *arg. l. 5. in pr. ff. ad L. Aquil. ibi: cum potuit apprehendere, maluit occidere, magis est, ut injuria fecisse videatur. Ergò & Cornelia tenebitur. l. si ex plagis. 52. §. 1. eod. ibi: nisi data opera effodisset. l. 1. §. Divus. 3. ff. ad L. Cornel. de Sicar. ibi: occidendi animo. l. 16. eod.*

II. *arg. l. 4. in pr. ff. ad L. Cornel. de Sicar. ubi Ulpianus Magistratum, qui aliquid fecerit contra hominis necem,*

quod LL. non permiffum est, lege Cornelia teneri, ait. Pro
posteriori est text. in *l. si adulterium*. 38. §. Imperator. 8. ad *L.*
Jul. de adulter. l. in lege. 7. ad *L. Cornel. de Sicar.* Zoannet.
sepè allegat. tract. part. 2. à n. 71. usq; ad fin. Volz. *d. Comm. c. 7.*
n. 150. Dissent. Obrecht. *d. tract. de Neceß. defens. c. 13. n. 127.*
Bocer. *de bell. & duell. cap. 10. n. 61.* Jacob. Ayrer. *d. tract. de*
homicid. part. 1. n. 392. Treutl. *volum. 2. disput. 32. thes. 6. L. K.*

LXXV.

Coronidis loco quære lubet, an is, cui
crimen verum objicitur, possit uti retorsio-
nis vel actionis injuriarum remedio contra
objicientem? Negamus.

Per l. eum qui. 18. in pr. ff. de injur. l. si non est nunciator. 3.
l. si quidem aviam. 10. C. eod. l. un. C. de famos. libell. Nam (ut
benè notat Gothofr. ex Horat. *libr. 2. sermon. ad d. l. eum qui*
18. ff. de Injuriis.)

Si quis

Opprobriis dignum lataverit integer ipse
Solvuntur risu tabulæ, tu missus abibis.

Schneid. *Instit. de Injur. §. injuria. n. 14.* Wesembec. in *Parat.*
ff. eod. n. 8. Duaren. *Comment. ad tit. de Injur. & famos. libell.*
c. 2. Zoannet. *d. tract. tripart. defension. part. 1. n. 55.* Fachin.
libr. 9. Controvers. cap. 10. Vultejus *Jurisprudencia Rom. lib. 1.*
cap. 49. n. 21. Borcholt. *Instit. de Injur. ad princ. num. 7. & 8.*
Treutler. *volum. 2. disput. 30. thes. 5. lit. G.* *Speculat. de*
Injuriis. §. 1. n. 3. & 11. ubi tamen dissentire
videtur Johan. Andr. in addition.
lit. C. eod.

SOLI DEO GLORIA.

AD

AD NOBILISSIMUM DN. URIEL
ab Eiche/LL. Stud. de inculpatâ tutelâ
publicè disputaturum.

HOc virtutis opus, si nobilitate coruscus,
Insuper & studiis, sedulus invigilet.
Hoc facit hic URIEL, cognomine dictus ab Eiche:
Maeste animo, crescat gloria, nomen, honos.

Valentinus Guil: Forst: J. U. D.
& Profess: publ. *ἀποχρηστικῶς*.

A L I U D.

VEra est Nobilitas, quæ aut Arte, aut Marte paratur.
Nam sola Ars & Mars nobilitare queunt.
Rursus Nobilitas servatur Marte vel Arte,
Stemmatis; hinc Generis gloria vera manet.
URIEL, ergo tibi grator: qui Martis & Artis,
Atque etiam Generis nobilitate nites.

Jacobus Martini Profess. publ.

A L I U D.

Dic mihi, qui summi sint NOBILITATIS honores?
Dic que sint vera NOBILITATIS opes?
Virtusne? an doctrina? an opes? an bellica gesta?
An quando à priscis fama paratur avis?
Nil ego in his reprobò: dubius sed cuncta relinquo,
Laus sua cuiq; manet: neutraq; laude caret.


AST

*At mihi præ reliquis generoso in pectore virtus
Imbutum & literis, nobile stemma, placet.
Sed quid Tu? virtute nites, literisq; refulges;
Moribus excellis; nobilitate cluis.
Discutis egregiè, quæ sit defensio vera,
Quæ dubia occurrunt, solvere ritè studes.
Quicquid agis semper peragis virtutis amore,
Virtutem præter gloria nulla placet.
Rectè sic sentis: Tu posthac perge Palastram,
Exercere: brevi præmia digna feres.*

gratulatur

manus & calamus

Philippi Jani patriâ Gosl.
educat. Sil. LL. St.



A L I U D.

INcolat ut Taxis mundi systemata, rerum
Confusum informans dexteritate chaos.
LEX vitæ integræ rector, scurræque domatrix
Terrigenum sternat fertile, jure, nefas.
Hæreticusq; strophas ne schismatis ore malignet,
Contra Jovanum RELIGIONIS opus.
Fervidus & placidè Martis furor, arma silescent;
Unanimi vitâ PAX hominesque liget.
Terricremis bellis stent tuta palatia REGIS;
Antistes juris cuncta regatque THEMIS.
Sospes ut his mundus; DEFENSIO jure NECESSE est.
Urge, Nobilium flos tener, hanc thesibus.

ædiωs

*Christianus Pœschuldus
Conaria-Saxo.*

F I N I S.

WITTENBERG, Diss., ERG. B. D.,
1. 1612/1667

ULB Halle

3

005 377 20X



nicht verbewerten

W 177

Wilb. Felger
Buchbinderei
Bismarckstr. 8



O JURIDICA
 NSIONE
 SARIA,
 S. TRINITATIS
 mo Jctorum in celeberrimam
 Academia ordine
 RESIDIO
 TIANI Krem-
 J. U D.
 andam proponit
 EICHE NOB.
 ALTIN.
 arij horis matutinis in
 io Jctorum
 (:)
 BERGÆ
 ANNIS RICHTERI,
 o Io c XX.

119

